



## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo XVI. Antiqua Monumenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illustrandam,  
Nunquam Edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1601**

Henrici Canisii Noviomagi IC. Et SS. Canonum Professoris Ordinarii In  
Academia Ingolstadiensi, Notæ. In Epistolas Alcvini.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)

HENRICI  
CANISII NO  
VIOMAGI IC. ET SS.  
CANONVM PROFESSORIS  
ORDINARIJ IN ACADEMIA  
INGOLSTADIENSI,

*Nota.*

IN  
EPISTOLAS ALCVINI.



HENR. CANISII  
SS. J. J.  
TOM. 2.  
S. 11.  
Z. 4

TRJ

TRITHEMIUS DE SCRIPTORI-  
BUS ECCLES.

**A**LCVINUS *sive* Albinus Monachus & Diaconus Ab-  
bas Monasterij S. Martini Turonensis, natione An-  
glicus, S. Bedæ Presbyteri quondam \* auditor, vir in  
diuinis Scripturis eruditissimus, & in secularium lite-  
rarum peritia nulli suo tempore secundus, carmine excellens & prosa,  
de Britannia ab Imperatore Carolo Magno euocatus, in tanta fami-  
liaritate apud eum habitus est, vt Imperatoris Magister \* delitiosus  
fuerit appellatus, cuius Magisterio ipse Imperator omnibus libera-  
rum artium disciplinis initiari satagebat. Scripsit multa præclara vo-  
lumina, de quibus feruntur. De S. Trinitate & fide. lib. 3. Ad quæstio-  
nes Fredigisi l. 1. Ad Eulaliã de ratione aet. l. 1. Ad \* Guidonẽ Comi-  
tẽ de virtutib. l. 1. In Cantica l. 1. Sententiarũ l. 1. In Euang. Ioan. l. 7.  
In Apoc. Ioan. l. 1. De adoptione filiorũ DEI l. 1. De Ecclesiasticis dog-  
matib. l. 1. Speculum paruulorum l. 1. De nominum DEI proprietate  
l. 1. Vita S. Vedasti Ep. l. 1. \* EPISTOLARVM ad diuersos lib. 1. In  
Genesis l. 1. In Ecclesiasten l. 1. In Epist. Pauli. l. 14. Ad discipulos  
dialogus. Enchiridon in quibusdam psalm. De artibus liberalib. Alia  
quoq; multa scripsisse dicitur, quæ tamen ad notitiam meam non ve-  
nerunt. Claruit sub Imperio Caroli. M. anno Domini. 770. Iussu Ca-  
roli M. scripsit lib. de diuinis Officijs, item Veteris & Noui  
Testamenti editionem vulgatam emẽdauit. Extat eiusmo-  
di vetus Bibliorũ codex Alcuini in Vallicellana nostra bibliotheca,  
inquit Baronius an. 778. *ingens thesaurus*. In bibl. Imp. Vi-  
ennæ extat m. f. intercessio p. puero Mauro (ad quem infra  
Ep. 48.) Scripsit quoq; vitam S. Richarij. ext. 26. Apr. Sur. &  
Vilembrodi qui & Clemẽs. ext. 7. Nou. Sur. Vide Baron.  
tom. 9. an. 800. Scripsit quoq; alia multa, At & falsò illi à Ba-  
leo tributi sunt quidam libri, qualis: De imaginibus. Item  
vita Caroli M. cuius Eginhardus auctor.

\* vide notas in  
Epist. 23.

\* vide notas in  
ep. 23. & 28. vbi  
ab Anastasio Al-  
binus vocatur  
delitiosus ipsi-  
us Regis.

\* Hic VVitto  
seu Guido est,  
cuius aenal. Frac.  
Pith. ann. 799.  
& Egolism in  
vita Caroli M.  
meminere.

\* Testatur ali-  
bi Tritheimius  
difficiliter si-  
mul omnes E-  
pistolas Alcu-  
ni reperiri. ex-  
tant aliquæ ap-  
ud Cõtinu at.  
Bedæ, & bibl.  
PP.



## IN EPISTOLAM I.

fol. 1. verso. 7.

**A**D Edilhardum) Variè mutat hoc nomen: Edelhardus, Eribilhardus, Adelarthus, Athilhardus, Athelhardus. Fuit Archiepiscopus Dorouernensis; cuius extat mentio in Ingulfi historia & Epistolis Kenulfi Regis Merciorum ad Leonem III. Pontificem Max. & Leonis ad Kenulfum: quas descripsit Continuator Bede li. 1. ca. 12. & 13. Dorouernum hodie Cantuariæ est. Sunt, q. Daruenū Δαρδένου Ptolomai putat. Hanc & alias quasdam Ceuini Epistolas ad Edilhardum citat Malmesbur. l. 1. reg. Angl. c. 3. & 4. & li. 1. & 3. de Pontif. Ang. Vide q. notamus ad Ep. 2. 4.

ib. verso. 26.

Cogita quales habueris antecessores) Omnes sanctissimi Cantuariæ sedit primus Augustinus, Gregorij M. discipulus, ait VVillielm. Malmesbur. lib. 1. de gestis Pontif. Angl. successores vide.

fol. 9. verso.

Pagani possederunt) Lege Gildam de excidio Britannia. VVillielm. Malmesbur. lib. 1. reg. Angl. cap. 1. 2. 3. 4.

4. Propter flagellum) Vide notas in Epist. 2.

6. In libro Gildi) Hunc locū paulo aliter citat VVillielm. Malmesbur. In libro Gildæ sapientissimi Brittonū, q. ijdem Britones propter auaritiam & rapinam principū, propter iniquitatem & iniustitiam iudicum, propter desidiam prædicatorū Episcoporū, propter luxuriā & malos mores populi patriam perdidere. Caueamus hæc eadem vitia nostris temporibus inolescere, quatenus benedictio diuina nobis patriam consecuet in prosperitate bona, quam nobis sua misericordissima pietate donare dignatus est.

fol. 7. verso. 16.

Humiles pietate modesta) Non sine causa Dorouernensis Clero modestiam ingerit: quod & de vestium modestia intelligo, cuius imitates excessisse, patet ex S. Bonifacij Epistola ad Cuthbertum, cuius VVillielmo Malmesbur. lib. 1. reg. Angl. cap. 4. de regno Adrethum, qui subdit: Sanè de tenuitate vestium Clericalium Alca-

nus Athelardum Archiepiscopum, Cuthberti successorem obliquè castigat, monens, vt cum Romã vadens, Carolum Magnum, &c. visiteret, non adduceret Clericos vel Monachos versicoloribus & pompaticis vestibus indutos; q; non viderent Francorũ Clerici, nisi religiosis vestibus amiciri.

Alcuine dicor ego) In epigrammatis Bibliorum correctioni. fol. 7. v. 21. præfixis, quæ extant tom. 9. Baron. ann. 778. Alcuin dicor ego. Sed cur nunc ille Alcuinus; nunc Albinus, utroq; interdũ nomine conuincto, vt inscriptio Dialogi de Rhetorica, inter XVI. Rhetores veteri habet, scire quis merito cupiat. Ego, si de me quæris, causam nullam scio, nisi quod barbariem patrij nominis Romana appellatione consulidus mutarum suspicor, vt in VV. Infrido, qui Bonifacius dictus, & alijs pleriq; illius æui contigit. Pontus Heuterus, quanquam Scriptor non admodum certus & circumspectus, Alcuinum in etymis interpretatur Alwin; vndiq; rem facientem argentemq;. Hodie nostratibus lucrum Owin. In Annalibus Franc. dicitur Alahvvinus.

## IN EPISTOL. II.

Æthelredo regi) Adredus, seu Ethelbertus, quem Polydorus lib. 4. vigesimum quartũ & vltimum Northumbrorũ Regẽ fuisse scribit, fuit à suis occisus, an. 827. 3. Kal. Maij. Licet alij de die & anno mirè discrepent: quod non huius loci examinare. Numerantur tamen etiam post hunc quidam Northumbrorum reguli Danicis temporibus. Lege Henricum Huntindoniensem lib. 4. hisç. & Roger. de Houeden parte 1. Annal. fol. 8. v. 4.

Osbaldo Patritio) De hoc Roger. de Houeden part. 1. Annal. fol. 8. v. 5. anno 796. Occiso Rege Ethelredo Osbald Patritius à quibusdam ipsius gentis Principib. in regnum est cõstitutus, & post 27. dies oi regix familiæ ac Principũ & societate destitutus, fugatusq; & de regno expulsus, atq; ad insulã Lindisfarnensem cum paucis secessit, & inde ad Regẽ Pictorũ cum quibusdã fratribus nauigio puenit. Et paulo post notans annum mortis, ait: Osbald quondam Dux & patritius, & ad tempus Rex, tunc verò Abbas obiit, & in Eboracensi Ecclesia sepultus est.

Hosbez-

Hosbercto Duci) Osbertum, patricium Merciorum nomina  
*Willelm. Malmesbur. lib. 1. de gest. Angl. regum. c. 3. & 4. ubi  
 duo fragmenta Epist. Alcuini ad Osbertum describitur.*

12. Amicus fidelis diu queritur, &c. ) *Clarissima femina Can-  
 gyth Epistolam quam ad S. Bonifacium Martyrē suo & filia nomen  
 scribit, hac ipsa gnomo claudit: Amicus diu queritur, vix inue-  
 nitur, difficile seruatur. Alcuinus Epist. II. ad Carolum M. Ve-  
 rerum itaq; prouerbialis fulget sententia; Amicus diu que-  
 ritur, vix inuenitur, difficile seruatur. Et Ep. 35. repetit.*

18. Cogitate, &c. quoties euasistis mortem ) *Regno pulso,  
 duodecim annos in exilio exegit, iterumq; regnum adeptus est. Quae  
 omnia simul cum nece Ethelberti, quia ex ipsius Alcuini Epistola  
 narrat Willelm. Malmesburiensis lib. 1. reg. Angl. c. 3. hic at-  
 xemus: sine quibus non intelligas totam Epistolam: \* Egbertus*

\* al. Eadber-  
 tus.

\* alij sex an-  
 nos ponunt.

\* al. Alfrivol-  
 dus.

itaq; fratris in Religione æmulus, comamq; tonsus, Osvul-  
 pho filio, illeq; post annum à ciuib; innocēter cæsus. Mol-  
 loni locū fecit; Is \* vndecim annis satis impigrè regno fun-  
 ctus, insidijs Alredi occubuit. Alredus decimo regni, quod  
 inuaferat, anno cedere à comprouincialibus compulsius est.  
 Ethelbertus quoq; filius Mollonis eorum consensu Rex le-  
 uatus, quinto anno ab eisdem expulsus est. Tunc Rex \* Cel-  
 vvoldus acclamatus, post vndecim annos perfidiam pro-  
 uincialium ingemuit, sine culpa trucidatus, quod & celebris  
 apud Haugustaldum sepultura, & diuina prætenderunt mi-  
 racula. Et nepos suus filius Aleredi Osfredus succedens, viroq;  
 anno emenso expulsus, regnum Ethelberto ( qui & Athel-  
 redus dictus est ) euacuauit. Is filius Mollonis ( qui quoq;  
 Ethelvvoldus vocabatur ) fuit, regnumq; post duodecim an-  
 nos exilij recipiens, quatuor annis tenuit, quibus exactis  
 fatum superiorum effugere nō valuit misere occisus. Quo-  
 re offensi plures Episcopi & Optimates à patria fugere. Quo-  
 dam merito plexum affirmant, eò, quod in occisione inuol-  
 Osv-

Ofredi, consensum suum obligauerit, cui sufficere potuerit, quod principatu eiectus Sedemilli restituerit. De huius regni exordio **A L C V I N V S** ita memorat: Benedictus Deus, qui facit mirabilia solus. Nuper Athelredus filius Ethelwoldi de carcere processit in foliū, & de miseria in maiestatem; cuius regni nouitate detenti sumus, ne veniremus ad vos. De nece ita ad **O F F A M** regem Merciorum: Sciat veneranda dilectio vestra, quod dominus Rex Carolus amabiliter & fideliter sæpe locutus est mecum de vobis, & in eo habetis fidelissimum amicum; ideo & vestræ dilectioni digna dirigit munera, & per Episcopales Sedes regni vestri. Similiter **E T H E L R E D O** Regi & ad suas Episcoporum Sedes dona direxit. Sed heu proh dolor, donis datis & Epistolis in manus missorum, superuenit tristis legatio per missos, qui de Scotia per vos reuersi sunt, de infidelitate gentis & nece Regis. Ita Carolus, retracta donorum largitate, in tantum iratus est contra gentem illam, vt ait, perfidam & perversam, & homicidam dominorum suorum, peiorem eam paganis æstimans. Et nisi ego intercessor essem pro ea, quicquid eis boni abstrahere potuisset, & mali machinariam fecisset.

Veridicum in verbis) *Morem, quo Alcuinus hic & passim fol. v. 2. ubi hortatur, obserua, VVillielm. Malmesbur. innuit his verbis: Ex obliquo arguens fecisse, quod ne faciant, rogat. Nam Alcuinus in Epist. ad Osbertum, quam citat Malmesbur. hæc habet: Northan regnum Northanimbrorum penè perijt propter intestinas dissensiones, & fallaces iurationes.*

Timeite illorum perditionem) *Clades Regum Britannie & fol. 12. v. 11. Northanimbrorum, fuse describit VVillielm. Malmesbur. lib. 1. reg. Angl. c. 3. Neq. vano metu male metuit illis Alcuinus, Plerosque, inquit, Malmesbur. Regum Northanimbrorum penè familiarit exitio vitam exisse. Ex paulo antè: Dictorum eius (Alcuini)*

euini) hic pleraq; intexam, quibus palàm fiat quàm cito esse post obitum Egberti regnum Northanimbromum propter morum peruicaciam malorum, pessum icerit, inquit Malmesburienfis, qui cum ex Epistolis Aleuini varia citasset, subiungit: Plenum, ut arbitror, factum est, quantam labem, quantam pestem, obliuio literarum & lubrici mores perditorum hominum Angliæ inuexerint.

18. Cauete iniquitates) Ethelbaldo Bonifacius misit Epistolam, cuius hic partem subdam, inquit Villielm. Malmesbur. lib. 1. reg. Angl. cap. 4. ut videatur, quàm libere arguat vitia iam in gente Anglorum inoleuisse, quæ Aleuinus timebat ventura esse. *Lege illam Epistolam, dignam scitu.*

Super Ecclesiam S. Cudperti) Villielm. Malmesbur. lib. 1. reg. Angl. cap. 3. citat Epistolam Aleuini ad hunc ipsum Ethelbertum; hac inscriptione: Ad Edelredum Regem, qui certius post Egbertum regnauit. Cuius Epistola fragmentum in scriptis omnia declarat, quæ hic cæca & inuoluta sunt. Ecce Ecclesia sancti Cuthberti sacerdotum sanguine aspersa, omnibus spoliata ornamenti, locus cunctis in Britannia venerabilior, paganis gentibus datur ad deprædandum. Et vbi primum post discessum sancti Paulini ab Eboraco Christiana Religio in nostra gente sumpsit exordium, ibi miserix & calamitatis cœpit initium. Quid significat pluuia sanguinis, quam in Quadragesimali tempore in Eboraca ciuitate, quæ est caput totius regni, in Ecclesia beati Petri Principis Apostolorum vidimus, de Borealibus domus sereno aère, de summo cœli minaciter cadere? Nonne potest putari à Borealibus partibus venire super terram sanguinem? Eandem Epistolam citans Malmesbur. in prologo lib. 3. de Pontif. Angl. ait: Hæc quidem Albinus coniecit suo tempore ventura, quæ posteritas vel per Borealium violentiam, vel propter Borealium culpam venisse liquido cognouit. Nam tempore succedente Dan

HENRICA  
S. J. J.  
tom. 1.  
S. 11  
24

f. 13. v. 3.

vastauerunt Prouinciam, inde Normanni propter Danorum aduentum efferati, quod reliquū erat, pessunderunt. *Gratia sanè habenda Malmesburienfi, qui de Pontif. Angl. li. 3. de Episcopis Lindisfarnensibus luculentam pro hoc argumento Alcuini Epistolam citat:*

Beatissimi patris Cuthberti Ep̄i in Christo filijs Hingbaldō Episcopo, & omni congregationi Lindisfarnensis Ecclesie Alchvvinus salutem.

Vestræ charitatis familiaritas me multum lætificare solebat, sed versa vice vestræ tribulationis calamitas, licet absentem, multum me contristauit; quod Pagani contaminauerunt Sanctuaria Dei, & fuderunt sanguinem Sanctorum in circuitu altaris, calcauerunt corpora Sanctorū in templo quasi sterquilinum in platea. Quæ est fiducia Ecclesijs Britannicæ, si sanctus Cuthbertus cum tanto Sanctorum numero suam non defendit Ecclesiam? & cætera: Quibus hortamur, ne à moribus antecessorum degeneres, vestium luxui & gulae intemperie professionis suæ reuerentiam decolorent. Per transgressionem diuinæ Legis accidisse talia, accessuraq; deteriora, si perseuerandum in vetitis putauerint. Adjicit etiam in Epistole calce: Cum dominus noster Rex Carolus hostibus per misericordiam Dei subditis domū reuertetur, nos Deo iuuante ad eum venire disponimus, & si quid tunc vel de pueris, qui in captiuitatem ducti sunt à Paganis, vel de alijs necessitatibus nostris proficere poterimus, diligenter ad effectum producere curabimus. *Hæc ex Malmesbur. Lege Regum de Houeden parte 1. Cnal.*

## IN EPISTOL. III.

**D**Auid Regi) Carolum Magnum nomine Dauidis intelligi, certū est ex Villielmo Malmesburienfi lib. 3. de Pontific. Angl. & li. 1. de gest. Regum Angl. cap. 3. vbi citatur hæc epi. inscripta Karolo

rolo Augusto. Quod non ita interpretor, quasi tunc Carolus nomen Augusti usurparit, ut patet disertè Episc. 4. Tres personæ in mundo altissimæ hucusq; fuere: id est, Apostolica Sublimitas, &c. Alia, est Imperialis dignitas, &c. Tertia est Regalis dignitas, in qua vos. Post mortem bellicosissimi David, inquit Sangallensis de gestis Caroli M. lib. 2. cap. 29. Carolum intelligens, eiusq; filium Ludovicum appellat Salomonem. Benedictus sit Dominus Deus noster, qui tribuit oculis nostris secundum David Regem videre, ait Stephanus V. salutans Ludovicum filium Caroli, ut habet Theganus de gestis Ludou. cap. 16. 17. 18.

fol. 15. v. 13.

Desunt mihi) Hæc paulo aliter citat VVilhelmus Malmshuriensis lib. 1. de gestis Regum Anglorum cap. 3. & lib. 3. de Panific. Angl. Date mihi exquisitoris eruditionis scholasticæ libellos, quales in patria habui, per bonam & deuotissimam magistrum mei Egberti Archiepiscopi industriam. Et si placeat sapientiæ vestræ, remittam aliquos ex pueris nostris, qui excipiant inde quæq; necessaria, & reuehant in Franciam flores Britannia, & non sit tantummodo in Eboraco hortus conclusus, sed etiam in Turonica emissiones paradisi.

## IN EPISTOL. IV.

fol. 17. v. 18.

GRatias agimus) Perperam hæc sine distinctione conuicta habuit codex m. s. cum hic nona Epistola incipiat, scripta ad eundem Carolum Magnum. Quod ex initio sequentis Epistolæ constare potest.

fol. 18. v. 14.

Secundæ Romæ) Caue Aquileiam intelligas, qua & Roma secunda dicta est. Hic nomine Romæ secundæ intelligit Constantiopolim, quæ passim in Constitutionibus Imp. Socrati Hist. Eccl. lib. 5. cap. 8. Corippo, Marcellino Comiti, Zonara, & aliis, Roma dicitur: ut & Sidonio in Panegy.

Salue sceptrorum columen, Regina Orientis  
Orbis Roma tui,

Nq

Neq̄ tantum Constantinopolitana vrbs, sed & alia, sicut potentiam, ita & nomen Romae emulabantur. Hinc Saluiano Massiliensi lib. 7. de providentia. Carthago vniuersarum Africae urbium Princeps & quasi mater, & in Africano orbe, quasi Roma. Et Aufonio Capua Campaniae dicitur: Roma altera. Aedui, Sigeberto, Celtica Roma. Aquileia, Roma secunda, indeq̄ Chromatinus Aquileiensis Episcopus, dictus est Romanus Episcopus, in libro de octo beatitudinibus. Ita Arclas nobilissima vrbs Galliae ab Aufonio vocatur Gallula Roma. Vide quae notat Sauaro ad lib. 1. ep. 11. Sidonij.

15. Gubernator imperij) Constantinus septimus anno 797. à matre Irene & consiliariis captus & excæcatus mortuus est Theophane auctore.

17. Regalis dignitas) Hæc præter Carolum Magnū nulli eius ætatis conueniunt: nullus enim Regum, eum dignitate, potentia, prudentiaq̄ æquauit. Vide, quae notamus in ep. 3.

26. Excæcauerunt caput) In populum Rom. seuerè & verè hæc dicta, qui in Pontificem Summum, Leonem III. insurrexerunt, pulsatum mutilarunt oculis; Anno 799. teste Anastasio Bibliothecario. Cum Leonem sanctissimū, inquit VVilhelm. Malmesbur. li. 1. de gestis reg. Angl. plagis in Ecclesia Beati Petri affecissent, adeo ut linguam eius mutilarent, & lumina terebrarent, Romam ad reformandum statum Ecclesiae ire maturauit Carolus. Ibi in improbos vltionem executus, tota hyeme refedit; Apostolicum, per Dei miraculum planè loquentem, & clarè videntem proprio tribunali restituens. Eadem Ethelwyerdus lib. 3. Chron. cap. 1. & Sangallensis de gestis Caroli M.

Te regat, exaltet) Ita corrigo ex coniectura, m. s. vitiose: fol. 20. r. 22  
Te regat, exaltet, defendet & ornet & amet. nisi malis ita hexametrum statuere: Te regat exaltet defendat & ornet & amet,



fol. 22. v. 9.

**A**ddere placuerit) Et hic & alibi passim patet Alcuinum Carolo M. misisse scripta sua censenda imò corrigenda. Unde non immerito in questionem vocatur communis illa sententia, qua dicitur Alcuinus Præceptor Caroli M. quam erudite discutit Baronius tom. 9. an. 778. cuius sententiæ subscribo. Et notandum, quod Sangallensis ille auctor de gestis Caroli M. ait, à Carolo Alcuinum honoris ergo Præceptorem appellatum, & ab aliis appellari voluisse. Et, nisi fallor, hunc honorem Præceptoris innuit ipse, cum ait infra Epistola 10. Flaccus vester legatur in literis, qui quondam audiebat in verbis.

Discipuli autem Alcuini sunt: Amalarius Treuerensis, ut ipse de se testatur de ordine Antiphon. c. 58. Eanbaldus Episcopus Eboracensis de quo lege infra Epist. 24. & 38. Macarius Episcopus, de quo Epistol. 18.

## IN EPISTOL. VI.

fol. 24. v. 18.

**L**aidradum Episcopum) Meminit huius Ep. 8. Eginhardus testatur Laidradum testamento Caroli Magni accitum testem interfuisse.

## IN EPISTOL. VII.

fol. 25. v. 22.

**H**uius partis cognoscendam perniciem) Huius partis perniciem, calamitates vrbis Romæ appellat.

fol. 26. v. 8.

Pro pietatis ope) ita enim correxi. In m. s. vitiosè legitur: Illius ut ex vobis proprietis ope.

ii. Qui tristis venit) Ita lego, non, veniat, ut habet m. s. Nam videtur alludere ad alteram profecionem Romanam Caroli M. qui quater Romam profectus est, anno 774. vindicans Adrianum & Romanam Ecclesiam ab iniuriis Desiderij Longobard. Deinde anno 781. soluendi voti causa. Tertio contra Ducem Beneuentanum an. 786. quarto ut restitueret Leonem an. 800. quo Imperator profectus.

IN

## IN EPISTOL. VIII.

Caret hæc Epistola omni titulo; sed tamen patet esse scriptam ad Fratres Lugdunenses: Et hoc ex nomine Laidradi, quem Alcuinus Ep. 6. Episcopum Lugdunensem vocat. fol. 26. v. 18.

20. Electum Pontificem, &c.) Ado Viennensis de Saracenis, qui anno 738. è Gallia sunt expulsi, hæc habet: Vastata & dissipata Viennensis & Lugdunensis provincia, aliquot annis sine Episcopis utraq; Ecclesia fuit, laicis sacrilege & barbare res sacras Ecclesiarum obtinentibus.

Hispanici erroris sectas) Quæ nam hæc sectæ Hispanicæ, à quibus periculum Lugdunensibus? Censeo, quod intelligat Felicis Vrgelitanus & Eliphanti Toletani Episcoporum hæresim, qui Christum secundum humanitatem adoptivum DEI filium professi magnam Hispaniæ partem eo errore, Caroli M. tempore infecerunt, de quibus ep. 20. & 60. Extat tom 9. Baron. an. 794. Epistola Caroli M. ad hunc Eliphandum hæreticum. fol. 27. v. 14.

18. Symbolo Catholicæ fidei nova nomina nolite inferere) Tam apud Hispanos, quàm Gallos fuerunt Symbolo additæ quatuor illæ syllabæ, FILIO QVE. Quod Leo III. videns novo more factum, vindicæ & custos sanctæ antiquitatis, voluit Symbolum sine illius verbi additamento permanere. Sicq; duabus tabulis argenteis inscriptum ad Confessionem S. Petri affixit, teste Anastasio Bibliothecario. Et hoc est, quod monet Alcuinus, nova nomina non inferenda Symbolo. Postmodum tamen, exigentibus causis, recepta est hæc vox, FILIO QVE, in Symbolum, auctoritate Apostolicæ Sedis.

19. Inauditas p. t. traditiones nolite diligere) Leo III. dedit Francis potestatem cantandi Symbolum in Ecclesia. Sed quia addiderant vocem: FILIO QVE nata est questio, num licite caneretur vna cum illo additamento: consuluitq; Leonem hac de re Carolus M. ut patet ex Epistola Zmaragdi ad Carolum, ubi Acta inter legatos Caroli & Leonem. Et sub finem hæc: Quale ergo dabis consilium, ne id ipsum ad aliquod transeat exitium? Papa: Si prius

prius quam ita cantaretur, interrogatus essem: ne inferretur, utique respondiſſem. At nunc (quod tamen non affirmando, sed vobiscum pariter tractando dico) quantum mihi occurrit, ita mihi videtur posse vtrumque fieri: ut paulatim in palatio (quia in nostra sancta Ecclesia non cantatur) cantandi consuetudo eiusdem Symboli intermittatur, &c. Si dimittatur à vobis, dimittetur ab omnibus. Carolus M. parasse patet ex his verbis Alcuini, qui in palatio frequens, quique alias hortaretur Lugdunenses & Lirinenses, ne diligerent in Ecclesiasticis Officiis inauditas priscis temporibus traditiones: neque alio traherent verba. Lege Baron. tom. 9. an. 809. ubi bene notat ex V. Valfrido Strabone usum cantandi Symbolum à tempore damnatae heresie Felicianae in Gallia & Germania frequentatum.

23. Versus B. Ambrosij) An Ambrosius Mediolanensis? An Ambrosius Episcopus Alexandrinus? qui Mediolanensi equatur fuit, scripsitque, teste S. Hieronymo de script. Eccles. volumen multorum versuum de dogmatibus. ut aliquis ex Græco hoc transfuderit. An Ambrosius Anagninus Episcopus, qui circa an. 743. Concilio sub Zacharia interfuit? At Beatum vocat, quod Mediolanensem suadet. Sed versus horridiores sunt, quam ab illo melles. Sed nec illi nimis compta, quos Biblioth. SS. PP. sub finem 8. tom. nomine S. Ambrosij dedit. Tum fieri potest, ut Alcuinus Ambrosianum crediderit, qui alterius auctoris fuerint.

25. Trinæ mentionis) quam in Baptismo retinendam esse multis ostendit ep. 60. fol. 114.

29. Receptit) m. s. suscepit.

Ter Sabaoth) m. s. Tres.

5. Testibus) Expressit illud Matth. 18. Ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.

7. Rubor) m. s. robor. an robur?

8. Tres medij) m. s. vitiose: Tres moduli. Medius tali significato saepe usurpatum. Sidonius lib. 2. ep. 1. Quicquid sperandum

dum, quicquid desperandum est, fierite medio, te præfule  
placet. *Vide, quæ notat Sauaro hic in Sidonium.*

18. Tantum requirit *In m. s. vitio librarij erat: Adquirat quid  
manducemus, quanta consideret.*

In insula Lirina. ) *Monachos celeberrimi cœnobij Lirinensis fol. 29. v. 8.  
intelligit, de quo Sidonius lib. 8. epist. 14. & lib. 6. epist. 1. Qui preces  
insulanarum vocat preces monasterio Lirinensi consuetas. Precum  
peritus insulanarum, inquit Sidonius lib. 9. epist. 3. ad Faustum,  
quæ de palæstra congregationis eremitidis, & de senatu Li-  
rinensium cellulanorum. De Statutis Lirinensium monacho-  
rum Hilarius Arelatensis in vita S. Honorati, & Eucherius de ere-  
mo Lirinensis insula seminarium Episcoporum sanctorum dici potest,  
ut enim ex illa monachi in Episcopos assumpti sunt. Hinc Casarius  
dicitur. homel. 25. Hæc est, quæ eximios nutrit monachos, &  
præstantissimos per omnes prouincias erogat sacerdotes:  
oculi quos accipit filios, reddit Patres; & quos nutrit par-  
uulos, reddit magnos. Sidonius carm. 16. ad Faustum:*

Seute Lirinus priscum complexa parentem est,  
Qua tu iam fractus pro magna sæpe quiete  
Discipulis seruire venis, vixq; otia somni  
Vix coctos capture cibos, abstemius æuum  
Ducis, & infertis pinguas ieiunia psalmis;  
Fratribus insinuans, quantos illa insula plana  
Miserit in cælum montes; quæ sancta Caprasij  
Vita senis, iuuenisq; Lupi: quæ gratia patrem  
Manfit Honoratum: fuerit quis Maximus ille,  
Vrbem tu cuius monachusq; Antistes, & Abbas  
Bis successor agis: celebrans quoq; laudibus illis  
Eucherij venientis iter, redeuntis Hilarij

*In quem locum, quæ oportune & erudite notat Sauaro, non tran-  
scribo.*

M m m m

IN

**L**icet in m. s. codice nullus titulus sit præfixus huic epistolæ, certum est scriptam esse nomine Caroli Magni ad Nicephorum Imperatorem Constantinopolitanum post mortem Pipini Regis Italiae, qui obiit 8. Id. Iulij anno 810. Meminerunt autem Annales legationem quam Nicephorus tum temporis ad Carolum miserit. Quoniam vero Odorannus Alcuinum anno 803. obiisse scripsit, aut hanc epistolam ab eo non scriptam, aut Odorannum falsum esse oportet.

fol. 30. v. 19.

Primo imperij tui anno) Illustrissimus Baronius tom. 9. c. 1. Egolismensi meminit huius legationis; eamque ad secundum annum imperij Nicephori referri debere putavit; ad annum nimirum Christi 803.

Ibidem.

Michaëlem Metropolitanum) Nomina horum legatorum apud alios variant, hic à typographo, non, ut volumus, reddita sunt. Codex m. s. ita claris literis habet: Michaëlem Metropolitanum, & populū assiduū, Abbatē, Calistumq; gloriosum candidatū, ad c. n. p. & f. a. a. h. d. in c. c. l. tua misit dilectio, velutin specula positi. Ut per populū assiduū intelligat comitatū legationis frequentem; deinde etiam Abbatem quendam adfuisse, cuius nomen non exprimitur. Egolismensis multum hic in nominibus variat, in reia Caroli M. Missi Domni Imperatoris de Constantinopoli reuersi sunt: & venerunt cum eis legati Nikifori Imperatoris, qui tum Remp. regebat (Nam Herenā post aduentum legationis Franciæ deposuerunt) quorum nomina fuerunt, Michaël Episcopus, Petrus Abbas, Calistus Abbas, Candidatus Abbas. Qui venerunt ad Imperatorem in Germaniam super fluuium Sala, in loco, qui dicitur Salts, & pactum faciendę pacis in scripto susceperunt. Et dimissi cum epistola Imperatoris Romā regressi, & Constantinopolim reuersi sunt. Idem Michaël post necem Nicephori anno 811. à Michaële Imperatore ad Carolū M. legatus missus est, vna cum Arsafo & Thagnosto, ut refert Elogismensis ibidem. Hermannus noster anno 811.

lar: Heyto Abbas Augiæ & Episcopus Basileæ cum Hugone & Haione Comitibus Constantinopolim missus hodieporicum suum scripsit. Interim Nicephorus Imp. cum Bulgariibus pugnant occisus.

Abbatem ) Quodnam huius Abbatis nomen? Egolismensis tres Abbates hac legatione functos, ait, Petrum, Candidatum & Calistum. De Petro assentior. De duobus iamiam dispiciemus. Inuenio etiam à Carolo M. ad Michaelem Imp. anno 813. missum esse quendam Petrum Abbatē Monasterij Nonantule in Italia. An hic accitus à Nicephoro, militi gnarus moris & oris, legationē obiit ad Karolum, & à Karolo demum ad Constantinopolitanos? Non definio.

Calistumq; gloriosum Candidatum ) Non possum assentiri Egolismensi, qui Calistum & Candidatū Abbates facit. Calistus dignitatem illam inuidia & potentia plenam habuit Candidati: quod patet ex eo cum gloriosus Candidatus appellatur. Scio Candidatos fuisse inter milites, quos Vegerius Candidatos duplares vel simplares. In passione Faustini & Iobitæ: Tradidit hūc Sappiricio primicerio scholæ Candidatorum. Hieron in Hilarione: Candidatus Constantij Imperatoris. Procopius 3, de bell. Goth. ἢ δὲ οὗτ' ὁ ἀνὴρ βασιλέως ἰουστινιανῶς διοικητὴς ὄντων, ἐπιπέδον τοὺς κἀνδ' ἰσάτρε καλεμένους τῶν ἐν τῷ ἔργῳ. Victor Tunnumensis in Chronico, quod nuper ex m. s. bibliotheca Toletanæ edidimus, laudat Iustinianum Candidati militiam functum sub Iustino Imp. Vide Cuiacium ad lib. 12. Cod. tit. 35. Item in Paratitl. DD. lib. 1. tit. 13. & in paratit. in Cod. lib. 1. tit. 30. ubi erudite ostendit, Candidatos Cæsaris in numero questorum fuisse. Qualem se fuisse cum fratre Velleius Paterculus scribit, & ab honore ad præturam conscendisse. Recitabant Imperatores suas orationes, epistolas & libellos in Senatu per Candidatos. Quætor Martyrij S. Stephani sub Constantino Copronymo passi apud S. Damascenū in fine meminit Callisti cuiusdam, qui anno 762. sæuijt in Catholicos: Callistum quendam Patrij ordinis summa secum familiaritate deunctū, atq; suam hæresim apprime callentē, & eximia dicendi facultate præditum ad se accersit.

fol. 31. v. 3.

Artatij glorio hispatarij ) Ita corrigo: nam paulo superius vocat *Arasium gloriosum spatarium*. *Egolismensis* vocat hunc *Arasium*, *Protospatarium*. de dignitate & vestitu *Protospatarij* lego *ropalatum* de officio *Constantinop. palatij*. sed ne quid celem. quem supra typographus *Arasium* dedit; m. s. codex ita dubia litera scribit, ut nescias *Arasium* ne, an *Arasium* vocet. Quare utrobique *Arasium* appello. Hic locus in m. s. claris literis ita habet. *Arasidi gloriosi patrij. an legendum, Patriij?* Non desinio. Scio ex *Theophrasto* à proceribus Principum coniurationis contra *Nicephorum* electum esse *Arasium Quæstorem & Patritium*, virum pium & rationabilissimum. Quod cum multiformiter *Nicephorus* cognouisset, ipsum quidem cæsum ac tonsum monachum fecit & exilio relegatum in *Bithyniam* misit. At hæc contigerunt anno 807. *Nicephori sexto*. noster verò *Arasius* anno dicitur *Michaële Imp. ad Carolum M* iterum legationem obijt: unde patet alium esse, nisi quis dicat à *Michaële Nicephori* successore *Arasium* ab exilio revocatum. Ego malim *Arasium* retinere, & ab *Arasio* distinguere.

21. Amabilem ) m. s. animam amabilem fraternitatem.

## IN EPISTOL. XI.

fol. 33. v. 32.

**M** Artis stella) Ex his colligere licet an. 799. esse scriptam hæc epistolam. Tunc enim stellam *Martis* iterum comparuisse *Naturalistici* illius temporis sibi gratulati sunt. Neque enim hunc locum *Alcuinus* aliorum traho. *Egolismensis* in vita *Caroli M*. Hoc anno, id est, ab *Incarnatione Domini* 799. sydus *Martis* à superioris anni *Iulio* vsq; ad huius anni *Iulium* nusquam in toto cælo videri potuit. Et hoc est, quod *Alcuinus* ait: quam sol diutissime tenuit, sed *Nemæi leonis* terrore liquit. Nam 23. vel 24. *Iulij* Sol *Leonis* signum iniecit.

3. Traditaq; est cancro ) m. s. traditaq; est cancro per hiemestres dierum hic multum dimisimus.

## IN EPISTOL. XIII.

**H**æc epistola licet careat inscriptione in m. s. patet tamen ex epistola II. esse item ad Carolum Magnum scriptam. in qua quoque finis die esse videtur.

## IN EPISTOL. XV.

**B.** Martino seruientibus) scripta est ad fratres Turonenses: fol. 37. v. 14. quod patet ex illis: In loco, in quo elegit sibi requiem dulcissimam. Nam Turonis sepulchrum S. Martini fuisse miraculis consuetum, & non semel à Carolo M. orationis causa frequentatum, patet ex Eginbarde.

## EPISTOL. XVI.

**N**on exprimitur, cui inscripta sit hæc epistola. Sed scriptam ad Ethelbrethum Episcopum Haugustaldensem, disertè ait Willielm. Malmesbur. de Pontif. Angl. lib. 3. Accæ, Fredebert; ei Tilbert: ipsi quoque Ethelbreth successit. Ad hunc & congregationem eius est epistola Alcuini, in qua inter cætera dicit: O nobilissima progenies sanctorum patrum, illorum honoris venerabilisque vitæ successores & pulcherrimorum habitatores locorum, vestrorum sequimini vestigia patrum: ut de his pulcherrimis habitationibus ad horum, qui vos genuerunt, æternæ beatitudinis consortium peruenire mereamini. Post Ethelbrethum tres tantum Episcopi Haugustaldensi fuerunt: Herdred: Eambertus: Thiffriddid. Exercitus enim Danorum, qui iam tempore Alcuini metuebatur, veniens, habitatoribus extinctis vel effugatis, habitaculorum tecta succendit. Hæc Malmesb.

De his pulcherrimis habitationibus) De Haugustaldensi fabrica, quæ Romanam magnificentiam æmulari velle videtur Malmesbur. ibid. Haugustaldehem vocatur locus quinquaginta ab Eboraco milliaribus disparatus, fisco regio famulatur,

M m m m 3

batur,

batur, quando eum beatæ memoriæ VVilfridus à beatiffi-  
ma Etheldricha Regina pro alijs possessionibus commu-  
uit. Ibi ædificia minaci altitudine murorum erecta, & di-  
uersis anfractibus per cochleas circûducta, mirabile quan-  
tum expoliuit, arbitrato quidem multa proprio, sed & ca-  
mentariorum, quos ex Roma spes munificentia attraxerat,  
magisterio. Ferebaturq; tunc in populo celebre, scriptisq;  
etiam est inditum, nusquam citra Alpes tale esse ædificium.  
Nunc qui Roma veniunt idem allegant, vt quæ Haugustal-  
densem fabricam vident, ambitionem Romanam se imagi-  
nari iurent; adeo tot temporum & bellorum iniuriæ venu-  
statem ædificiis non tulere.

## IN EPISTOL. XVII.

fol. 42a

**R**icbodum) *Richboldum sive Richbodum Episcopum Treu-  
rensem, anno 780. vixisse, catalogus illius Eccles. restatur. Annales  
les Franc. ed. Pithæi & postea nomine Annalium Fuldensium copio-  
sius editi hæc habent de nostro Ricbodo: neq; enim aliud ego refero. Rich-  
boto ( seu vt Pith legit, Ribbitto) Archiepiscopus Treuren-  
sis moritur anno 804. Et ita etiam noster Hermannus, à quo ap-  
pellatur Richpoto. Epistola ad eum scripta intercidit.*

## IN EPISTOL. XX.

fol. 44a

**F**ratribus) *Non scriptam putes ad vniuersum Clerum, sed ad  
monachos tantum S. Petri, quod est antiquissimum Salzburgi  
monasterium quod multos olim dedit Episcopos, eorundem vsq; ad tem-  
pora S. Virgilij Sedes.*

ibid. v. 19.

Iuuauensis Ecclesiæ) Iuuauia ( quod nomen in Itinerario  
Antonini Augusti extat) Salzburg est: sicut & fluuius Salzbur-  
gum præterfluens, hodie Saltza dicitur, quondam, Iuuauius. Egri-  
bardus in vita Caroli M. inter 21. metropoles Carolo M. subiectas no-  
minat Iuuauum, quæ & Salzburg: vbi editi codices perperam Iu-  
uanum habent.

Aqui-

Aquila Pont. germano) Vide ep. 35. quam ita inscribit: Cha- fol. 45. v. 3.  
 rissimo germano Aquilæ. quem inibi Salisburgensem Ep̄m dixi-  
 mus. quæ coniectura audax nimis videri queat, cum ea ætate nullus  
 Aquila inter Episcopos Salisburgenses reperiatur. Quid ergo huic  
 Aquila faciemus? Inclinaſsem, Abbatem credere, nisi quod & hic di-  
 ſerte Pontifex & ep. 35. Antistes appellatur. Superest, vt coniectu-  
 ræ agatur. nomen mutatione, illi auo frequentissima & solenni,  
 in aliud abiisse; & Aquilam dictum, eo more, quo Alcuinus, Flaccus;  
 Carolus M. David; Ludouicus, Salomon. Quam ego coniecturam,  
 hanc patris audaciam, longius etiam produco. vt Ioannem, qui ante  
 S. Virgilium Salisburgi sedit, Aquila nomine significari existimem.  
 Licet temporum ratio aliquo modo me terreat; patitur tamen opinor.  
 Et schema manifestum est, multo profecto magis, quàm in usurpato  
 Dauide pro Carolo Et si in hac epistola hæc verba (olim patri Aquilæ  
 Pontifici, germano meo, pastori vestro iniungere studui)  
 ita accipimus, vt olim cum patri, & non cum studui coniungimus,  
 erit id ipsum, quod in Salisburgensi catalogo legitur, Ioannem Abba-  
 tem S. Petri fuisse, ante Episcopatum initum. Verum de hoc quisquæ  
 volet statuat.

Diuersæ nunc hæreses) Felix Vrgelitanus & Eliphantus fol. 46. v. 6.  
 Toletanus Episcopi hæresim excitarunt, Christum secundum Huma-  
 nitatem adoptiuum Dei Filium esse asserentes; quæ hæresis multos,  
 præsertim in Hispania, tempore Caroli Magni peruertit. An ab hac  
 hæresi Bauaria periculum imminebat? quod Alcuinus tam anxie hor-  
 tatur Iuuauenses, vt caueant. Iuuauiam enim & Otto Frisingensis,  
 urbem Bauariæ vocat. Imo Felicianæ hæresis Reginoburgi vrbe Ba-  
 uariæ damnata est, vt habent Annal. Franc. anno 792.

## IN EPISTOL. XXI.

Eboracensis) In Eboracensi Ecclesia Alcuinus enutritus & eru- fol. 47.  
 ditus fuit, vt ipse ait apud Continuatores Bedæ lib. 1. cap. 9. &  
 infra epist. 24. Dilectissimæ Eboracensis Ecclesiæ fratribus,  
 eiusdem

eiusdem piæ matris filius Alcuinus. *Et in hac ipsa epistola 22. Vos fragiles infantia meæ annos materno fouistis affectu, & lascium pueritiæ tempus, pia sustinuitis patientia, & paternæ castigationis disciplinis ad perfectam viri edocuitis ætatem, & sacrarum eruditione disciplinarum roborastis. Et paulo post: Cuius infantiam aluistis.*

fol. 48. v. 21.

Eius senectutem sepeliatis) *Optauit quidem in Eboracensi monasterio consensescere & sepeliri: sed ubi obierit, habet VVilhelm. Malmesburiensis lib. 1. Reg. Angl. cap. 3. Iacet in Francia apud S. Paulum de Cormarico: quod cœnobium Carolus Magnus eius consilio construxit: vnde hodieq; quatuor monachorum victus & potus pro eiusdem Alcuini anima quotidiana infertur eleemosynæ in eadem Ecclesia.*

25. Puer noster Seneca) *Visionem tangit aliquam, opinor, pueri cuiusdam, cui Seneca nomen fuerit, in cœnobio Eboracensi.*

## IN EPISTOL. XXII.

fol. 50.

S. Leodegarij seruientibus) *Videtur hæc Epistola scripta ad Augustodunenses: fuit enim S. Leodegarius Augustodunensis Episcopus.*

fol. 50. v. 8.

Frater, ille, attulit) *Pro incerto nomine olim, ille, scribatur, ut nunc fere litera, N. ut patet ex epistola. 16. & 28.*

19. Potatur calice) *Alludit ad illum morem, quo nomine & amore Sanctorum, benedictionis adipiscendæ ergo bibebant. De quo more auctor lib de miraculis S. Vdalrici cap. 10. editus à nobilissimo & eruditissimo viro M. Velfero. In auxilium eius S. Vdalrici firmiter vbiq; confidens, in recreatione sua pro amore eius frequenter bibebat, & alios bibere postulare consuevit. Lege ibid. cap. 11. 12. 13. Priscus hic mos & probus, quamdiu intra temperantia limites. Nam Sanctorum appellatio, reuerentiam & imitationis studium iniecit. At & hic mos ab improbis aliò ductus, quem prauo abusu & abrioforum licentia in deterius lapsum reprehendit S. Augustinus de Temp*

Temp. serm. 232. Illud verò quale est, quod transacto conuiuio, expleta siti, cum amplius bibere non possint nec debeant, tunc quasi nouelli, quasi & qui ipsa hora superuenerint, diuersis nominibus incipiunt bibere, non solum viuorum hominum, sed & Angelorum & reliquorum antiquorum Sanctorum: æstimantes, quod maximum illis honorem impendant, si se in illorù nominibus nimia ebrietate sepebant: ignorantes, quod nullus tam grauem iniuriam sanctis Angelis vel sanctis hominibus agnoscitur irrogare, quàm illi, qui in eorum nominibus bibendo per ebrietatem suas animas probantur occidere. Vide Gregor. Turonens. bis. Franc. lib. 5. cap. 21. & infra Alcuini epis. 48.

## IN EPISTOL. XXIII.

Sanctissimis in Christo fratribus) *Quinam hi fratres? Neg. fol. 32. enim in m. s. quidquã additur. VVioreses fuisse, scimus ex VVilhelmo Malmesburienfi. qui lib. 1. de gestis Regum Angl. cap. 3. Hæc de Alcuino: Non immemor compatriotarum, &c. illos crebris epistolis ad bonum incitare. Dictorum eius hîc pleraq; intexam, quibus palam fiat, quàm cito post obitum Bedæ, in eius etiã Ecclesia, studium librorum emarcuerit, & post obitum Egberti regnum Northanimbriorum propter morum peruicaciam malorum pestum icrit. Ait ergo ad VVioreses, apud quos Beda vixerat & obierat, ex obliquo arguens fecisse, quod ne faciant, rogat: Adsuascant pueri astrelaudibus superni Regis, non vulpium fodere cauernas, non leporum fugaces sequi cursus. Discant nunc scripturas sacras, vt ætate perfecta alios docere possint. Recogitate nobilissimum nostri temporis magistrum Bedam &c. Quem locum ideo tam copiosè adduxi: quia ex illo in hac epist. restituere licet, que in m. s. desiderantur. VVioreses fratres cœnobita fuerunt in monasteriis duobus S. Petri & Pauli ad VViram seu VViremudam. De*  
 Nnnn quibus

quibus Malmesburiensis *ibid.* Britannia habet in remotissimis  
sui plaga locum natiuitatis & educationis eius Bedæ, Scotie  
propinquum, &c. Ibi est *VV*ira nec egenæ latitudinis, nec  
segnis gurgitis amnis, qui pelago influus naues serenainue-  
tas aura placido ostij excipit gremio. Cuius vtræq; ripas  
Benedictus quidam Ecclesiis insigniuit, & monasteria ibidem  
construxit, alterum Petri, alterum Pauli nomine, charitatis  
& regulæ vnione non discrepantia.

fol. 53. v. 22.

Benedictus scilicet seu reliqui patres) *Ceolfridum* intelli-  
git & *Benedictum*, quorum hic ad ripas *VV*ira duo monasteria adifica-  
uit, eorumq; incolas, *VV*iorenses fratres *Alcuinus* vocat. Natus in  
territorio eiusdem monasterij, inquit *Beda de seipso, in fine hist.*  
*Angl.* cum essem septem annorum, cura propinquorum da-  
tus sum educandus reuerendissimo Abbati *Benedicto*, ac  
deinde *Ceolfrido*.

fol. 54. v. 8.

Adfuescant pueri) *m. s. ita legit*: Displicet enim Deo  
infidelis promissio. Discant pueri scripturas sacras, ut eta-  
te perfecta veniente, alios docere possint. Qui non discit in  
pueritia, non docet in senectute. Recogitate nobilissimum  
nostri temporis magistrum *Bedam*. Nos, quæ hic desunt, ex  
*Malmesburiensi* inseruimus, qui citat hanc ep.

14. *Bedam*) *An Beda Præceptor Alcuini, ut Tribemius asse-*  
*rit, & hæcenus vulgo dictum? Alcuini hæc verba vide*: Recogita-  
te nobilissimum nostri temporis magistrum *Bedam* presby-  
terum. vbi cur inuidisset *Beda* hanc laudem, & non potius appella-  
set suum, quàm sui temporis magistrum? Adde quòd ipse *Beda* in  
præf. *hist.* *Angl.* ait: Auctor autem ante omnes atq; adiutor  
opusculi huius *Albinus* Abbas reuerendissimus, vir per om-  
nia doctissimus extitit. & paulo post *Patrem Albinum* nomi-  
nat. Fuisse autem *Egbertum*, fratrem *Egbertis* Regis *Angl.* præ-  
ceptorem *Alcuini* iam diximus.

IN EPISTOL. XXIV.

**A**B Enbaldo) *En hic discipulus Alcuini? Epistolam citat fol. 55. v. 29:*  
*Malmesburienf. lib. 1. de Regibus Anglorum cap. 3. & lib. 3. de*  
*Pontificib. Angl. his verbis: Huius Egberti fucceffor fenex fub-*  
*ftitutus eft Eanbaldus, præfati Alcuini difcipulus induftri-*  
*us: vnde in epiftola ad eundem dixit: Laus & gloria Deo,*  
*qui dies meos in profperitate bona conferuauit, vt in exal-*  
*tatione filij mei chariffimi gauderem, qui laboraret vice*  
*mea in Ecclefia, vbi ego nutritus & eruditus fuerã, & præ-*  
*ellet thefauris fapientia, in quibus me magifter meus dile-*  
*ctus Archiepifcopus Egbertus reliquit hæredem. Ipfe eft*  
*Eanbaldus, qui cum Ethelardo Archiepifcopo Cantuari-*  
*enfis multis probitatis officiis inuafionem, quam Offa Rex*  
*Merciorum fuper Cantuarienfem Ecclefiam fecerat, ad ni-*  
*hilum redegit: quod Alcuinus fignificare videtur in epifto-*  
*la ad eundem Athelardum ita dicens: Audiens falutem &*  
*profperitatem veftram & conuentum cum Eboracenfis Epi-*  
*fcopo filio meo Eanbaldo, fatis mihi placuit, fperanti ex ve-*  
*ftræ colloquio fanctitatis vnitatem fanctæ Ecclefia recom-*  
*paginari, quæ partim difcifla eft, non rationabili confidera-*  
*tione, fed quadam poteftatis cupiditate. Hac apud Mal-*  
*mebur.*

IN EPISTOL. XXV.

**M**Onachi S. Saluatoris) *Petrus Oldradus Archiepifcus Medio-*  
*lanenfis, in epiftola ad Carolum Magnum de translatione S.*  
*Augustini Papiam anno 725. per Luitprandum Regem, ait: Præci-*  
*pue in palatio fuo Oratorium in honorem Saluatoris mundi*  
*extruxit, vbi & Sacerdotes & Clericos multos inftituit, qui*  
*die noctuq; diuina officia exoluerēt, attributis multis bonis*  
*vt honeftius & alacrius Deo inferuire poffent. Hac de Papien-*  

Nnn 2 fi

si Ecclesia S. Saluatoris extructa à Luitprando de qua an intelligenda hic Alcuinus? Non censeo. Nam licet Carolus M. an 774. Papiam Longobardorumq. regnum subiugarit, tamen illa verba (Tam nobilibus Rex nobiles debet habere ministros) magis aliò quam Te cinum ducunt.

fol. 59. v. 5.

Liudgardam) Vxorem Caroli Magni, quæ anno 800. defuncta est; Carolus è Centulo per litus Oceani venit Rotomagum, indeq. per Sequanam ad Sepulchrum S. Martini orationis causa, pridie Non. Iunij sepulta est, teste Egoismensi & Eginhardo.

S. Capellæ) Adrianus Papa in epist. ad Carolum M. vocat Engelbertum generum Caroli M. ministrum Capellæ, quod de hac nostra intelligo. De origine Capellæ Sangallensis de gestis Caroli Magni.

## IN EPISTOL. XXVI.

fol. 59. v. 23.

IN prouincia Scotorum) Ita corrigo, nam m. s. vitiose: Gothorum.

fol. 60. v. 8.

Fertur) Corrigo: feruntur.

10. Confessionem) De confessione auriculari meminit etiam epist. 2. 23. 37. 47.

32. Non semper confessio pœnitentiam significat) Eleganter de hoc S. Augustinus de verb. Dom. serm. 8. Admonenda fuit charitas vestra, Confessionem non esse semper vocem peccatoris: quia mox vt hoc verbum sonuit Lectoris, secutus est etiam sonus tusionis pectoris vestri. Audito scilicet, quod Dominus ait: Confiteor tibi Pater. In hoc ipso quod sonuit, Confiteor, pectora vestra tutudistis. Tandem autem pectus quid est, nisi arguere, quod latet in pectore, & euidenti pulsu occultum castigare peccatum? Quare hoc fecistis, nisi quia audistis, Confiteor tibi pater? Confiteor, audistis: Quis est, qui confiteatur, non attendistis.

fol. 61. v. 15.

Si quis peccator est,) Illud S. Iacobi 5. Infirmatur quis in ro-

in vobis, &c. ad animum peccatoris accommodatitio sensu refert eleganter.

Sacramentario) An S. Gregorij M. sacramentarium intel- fol. 62. v. 24.  
legit, in quo Reconciliationis orationes extant?

IN EPISTOL. XXVII.

L Eoni) Leoni III. qui Pontificatum inijt anno 795. mortuus fol. 65.  
anno 816.

Poscentem pro filia viduam) Ita ex coniectura corrigo, fol. 67. v. 8.  
sicut malim legere p. p. filia Chananzam: quæ an vidua fuerit, non  
constat. Codex m. s. ita habet: poscentem pro filio viduæ, vbi duo  
distincta miracula, nempe Luc. 12. & Matth. 15. videtur coniungere.

Engilpertus) Abbas hic S. Richarij, qui & testamento Caro-  
li M. interfuit, teste Eginhardo. Hunc Carolus M. debellatis Hun-  
nis cum magna parte spoliiorum anno 796. misit ad Leonem, vt Egin-  
hardus & Egoismensis scribunt. Anno 792. hæresis Felicianæ (ha-  
bent Annales Franc. edit. Pith.) ipso auctore eam abnegante,  
apud Reganespurg primum damnata est, qui etiam per En-  
gilberthum Abbatem in præsentia Adriani Apostolici ad-  
ductus denuo eam confessione facta damnauit. Plura de hoc  
Engilberto episc. 49. 51. 56. 59.

IN EPISTOL. XXVIII.

A Driano) qui inijt Pontificatum anno 772. Sepulchrum eius fol. 68.  
platonæ (id est, marmor) parieti infixæ gesta bonorum  
eius aureis literis & versibus scripta, iubente Rege Carolo  
inquit Rogerus de Houeden parte 1. Annal. & epithaphium à Caro-  
lo M. positum, vide tom. 9. Baron. ann. 795. quo mortuus.

Mei Regis missus ille.) Iam monuimus, pro incerto nomine fol. 69. v. 23.  
consuuisse scribere, Ille an 773. Adrianus implorauit opem Caroli  
M. contra Longobardorū Regem: cui primæ legationi Adriani Ca-  
rolus respondit per legatos suos Romam missos, inter quos Albinus.

Nnn n 3

Anasta-

*Anastasius Bibliothecarius*: Georgius sanctissimus Episcopus, Gultardus religiosus Abbas & Consiliarius, seu Albinus delitiosus ipsius Regis. &c. Quibus referens idem præcipuus Pontifex cuncta, quæ gesta erant, eos in Franciam abfoluit remeandos, dirigens cum eis suos missos ad præfatum excellentissimum Francorum Regem. *Quid si hic nota hæc, illi significaretur Engilbertus? de cuius legatione lege episc. Hadrian ad Carolum M ap. Baron. tom 9 an 794.*

fol. 70. v. 3.

Domno Regi) *Quomodo Carolus Adrianum coluerit & auerit, colligi potest ex Fodere cum Offa Rege Merciorum*: Cognoscat quoq; dilectio vestra, quod aliquam benignitatem de dalmaticis nostris vel palliis ad singulas Sedes Episcopales regni vestri vel Ethelredi direximus in elemosynam Domini Apostolici Adriani, deprecantes vt pro eo intercedi iubeatis, nullam habentes dubitationem, beatam illius animam in requie esse; sed vt fidem & dilectionem ostendamus in amicum nostrum charissimum.

## IN EPISTOL. XXX.

fol. 72. v. 5.

Regis tardatio in Saxonia) *Alcuinus cum Carolo M. in Saxoniam profectus: quem quam auide itinerum suorum comitem habere desiderauerit, patet ex epist. 7. ad Carolum M. & Alcuinū in conuersione Saxonum sedulo laborasse, qui ipsum Carolum ad hoc opus virgendum incitauit. Antiqui Saxones, inquit Alcuinus in epistola, quam citat VVillielm. Malmesbur. lib. 1. Reg. Angl. cap. 4. & omnes Fresonū populi, instante Rege Carolo, alios præmij & alios minis sollicitante, ad fidem Christi conuersi sunt.*

## IN EPISTOL. XXXII.

fol. 74. v. 8.

T Enens) *forte: tenentes.*

16. Offæ Regi) *Omnino corrigendus m. J. qui habet: Regine. Offa Rēx Merciorum Caroli Magni amicitiam ambiuit. Vide Continuatur. Beda lib. 1. cap. 14. 15. 16.*

Ergen-

Et genti Anglorum nunquam infidelis fui) *Verissima.*  
 Non inmemor compatriotarum, Imperatorem in amici-  
 tia eorum continere, inquit *VVillielm. Malmesbur. lib. 1. Regum*  
*Angl. cap. 3. qui Alcuini epistolam ad Offam citat:* Ego paratus  
 eram cum muneribus Caroli Regis ad vos venire, & ad pa-  
 triam reuerti; sed melius mihi visum est propter pacem  
 gentis meae in peregrinatione remanere. *Et paulo post citat*  
*Alcuini epistolam ad Offam de nece Ethelredi:* Sciat vene-  
 randa dilectio vestra, quod Dominus Rex Carolus amabi-  
 liter & fideliter saepe locutus est mecum de vobis, & in eo  
 habetis fidelissimum amicum; ideo & vestrae dilectioni di-  
 gna dirigit munera, & per Episcopales Sedes regni vestri.  
 Similiter Ethelredo Regi & ad suas Episcoporum Sedes  
 dona direxit. *Sparsa esse quaedam dissensionum & odij semina inter*  
*Offam & Carolum M. quae Alcuino imputata sunt, quae etiam hac epi-*  
*stola à se amolitur, colligo ex epistola ipsius, quam citat VVillielm.*  
*Malmesbur. ibid. cap. 4.* Nescio, quid de nobis venturum sit;  
 aliquid enim dissensionis diabolico fomento inflammante,  
 nuper inter Regem Carolum & Regem Offam exortum  
 est, ita ut vtrinq; nauigatio interdicta negotiantibus cesset.  
 Sunt, qui dicant nos pro pace esse in illas partes mittendos.  
 Fides tamen cum Offa firmum Carolus sanctum seruauit, cuius fide-  
 rit exemplum lege apud *Malmesbur. ibid. c. 4. in fine.*

## IN EPISTOL. XXXIII.

[*Nm. s. non est nomen illius, ad quem haec epistola scripta sit. At col. 75.*  
*scimus esse ad Radonem Abbatem, cui vitam S. Vedasti Episcopi*  
*Alcuinus dedicauit, & hanc dedicatorem premisit: Quae extat tom. 1.*  
*Surij. die 6. Februarij. Patet ergo ex hac epistola error eorum, qui*  
*vitam S. Vedasti scriptam à Beda putarunt, sicut & vulgo habetur*  
*in 6. tomo Bede; cum Alcuinus auctor sit. Nisi quis dicat ab Alcuino*  
*vitam S. Vedasti tantum emendam esse, & à Beda scriptam: prae-*  
*sertim*

*fertim cum dicat: Vitam S. Vedasti, &c. emendare studui. In Suri editione talis est inscriptio: Dulcissimo dilectionis filio Radoni Abbati, humilis Leuita Albinus salutem.*

fol. 24.

Patris vestri) Colligo ex his verbis Radonem Abbatem fuisse monasterij S. Vedasti: quod anno 937. adhuc floruisse Frodoardus in Chronico testatur.

## IN EPISTOL. XXXIV.

fol. 78. v. 12.

Petro Archiepiscopo) Sed cuius hic Archiepiscopus? Mediolanensis, quem Panuin. quinquagesimum: Borrom. quinquagesimum secundum, & Carolo Magno percharum fuisse ait. Extat bria Petri, qui & Oidradus dictus est, epistola elegantissima ad Carolum M. de translatione S. Augustini Papiam anno 725. facta.

21. Altitudines alpium) Alpium meminit, quod ea inter Gallias, ubi Albinus agebat, & Italiam sita.

## IN EPISTOL. XXXV.

fol. 30.

Germano) Cuius hic Aquila Antistes? Iuuauensis. Illidem quem epist. 20. ad Iuuauenses, germanum suum appellat. Pro patri, Aquila, Pontifici, germano meo, pastori vestro.

## IN EPISTOL. XXXVI.

fol. 22.

Filio meo Alta Petra) Reperio in diuisione Ludouici & Caroli. Altam Petram, nomen loci, post S. Ursam in Saledoro, & Grandiualem.

fol. 83. v. 4.

Ad imalicium) forte legendum; ad iudicium.

## IN EPISTOL. XXXVIII.

fol. 87. v. 15.

Pompaticis carnem induis vestimentis) Eum, quem Alcuinus hic ob affectatum vestium splendorem, reprehendit fuisse Clericum. patet ex his verbis: Tu sacri altaris minister; tu summi honoris socius. Audiamus Sidonium nitorem cultus in Ecclesiastica

*fasciis* homine reprehendentem: Habitu cultuque conspicuo, inquit libro 4. epistola 13. non iuuenescit solum, sed quodammodo repuerascit. Enimuero vestis astricta, tensus cothurnus, crinis in rotæ specimen accisus, barba intra rugarum latebras merfis ad cutem secta forpicibus, &c. professione religionis arrepta, viribus potius resurgentis innocentia conualescat. Vbi notandum est, veteres Francos adstrictis vestibus vsos. De quibus Sidonius carm. 2.

Strictius assuetæ vestes procera coërcent  
Membra virum.

al. assuetæ.

Sicut & de Gothi Sidonius lib. 4. epist. 20.

21. Longo fasciarum nexu ligari) Scio Græci & Romanis fuisse periscelides. Sed longe alia Franci in vsu: quæ quales fuerint, colligimus ex iis, quæ Sangallensis de gestis Caroli Magni: Erat antiquorum ornatus vel paratura Francorum, calceamenta forinsecus aurata, corrigiis tricubitalibus insignita, fasciolarum crurales vermiculata, & subtus eas tibialia ac coxalia linea, quamuis ex eodem colore, tamen artificiosissimo opere variata, super quæ & fasciolas, in crucis modum intrinsecus & extrinsecus, ante & retro, longissimæ illæ corrigiæ tendebantur. Non ita Gothi, de quibus Sidonius lib. 4. epist. 20. Genua, crura, suræq; sine regmine. Melius vsus fasciarum, quibus & plantas & crura involuebant Franci, intelligere poterimus ex Sidonio lib. 8. epist. 11.

Perges sic melius volante saltu,

Si vestigia fasceata, nudi

Per summum digiti regant, citatis

Firmi ingressibus, atq; vinculorum

Concurrentibus ansulis reflexa.

Ad crus, per cameram cathena surgat.

Quorum duos ultimos versus, nemo melius explicet, quam idem Sidonius, qui Carm. 2. quomodo in obstrigilo (ita enim hoc calceamen-

Oooo

ti ge-

ti genus vocari à Glossog. vet. m. s. testatur Sauaro) per cameram  
catheasurgat, eleganter ostendit:

Perpetuo stat planta solo, sed fascea primos  
Sistitur ad digitos, retinacula bina cothurnis  
Mittit in aduersum vineto de fornice pollex,  
Quæ stringant crepidas: & concurrentibus ansis  
Vinclorum pandas texant per crura catenas.  
Meminit quoq; buismodi fascearum, historia S. Eugendi:  
Constrictus ocreis crura, fasciisq; plantas.

## IN EPISTOL. XLI.

fol. 90. v. 20. **D** Amœta) Fuisse hunc virum illustrē, domi militiaq; strenuum,  
patet etiam ex epist. 47. vbi hunc in exercitu Caroli M. Saxo-  
nes debellaturi luri dicundo fuisse præfectum, liquet ex his: In diuer-  
sarum auditu causarum, iustitia semper resonet in ore.  
25. Quot dentes) Ne mireris, quod vir illustris Alcuino pecti-  
nem dono mittat. Certè Bonifacius Edelburgæ Regina pectinem  
eburneum auratum dono misit, vt patet ex epist. quam Henricus  
Huntindoniensis lib. 3. hisc. citat.

fol. 91. v. 1. **Placare capillos)** in m. s. vitiosè: placere. Si quis occasione  
ius eburnei pectinis, dono misit à Damœta, velit colligere, temporibus  
Alcuini Clericos comam promississe; huic quò minus assentiar, facit Si-  
donius: qui epist. 24. lib. 4. habitum Clerici describit: Habitus vi-  
ro, gradus, pudor, color, sermo religiosus, tum coma breuis,  
barba proluxa. Quod Alcuini atate durasse credo. Sacerdotes comam  
non nutriuisse, patet ex Concilio Carthagin. 4. Can. 44. Clericus  
neq; comam nutriat, neq; barbam radat. Idem Eucherius hom.  
plurim. mart. ex decreto Cniceti Papæ 23. distinct. cap. prohibet.  
Isidorus l. 2. ca. 4. de offic. Ecclesiast. Epiphanius heresi 80. & in Com-  
pendiario fidei Apostolica. Vide quæ notat Sauaro.  
5. In absentia longinquitate) Eidem Damœta inscripta est  
subsequens epist. 47. & 51. in eodem itinere commoranti, vt appar-  
et dum scilicet Carolum Magnum in Saxones mouentem, comitatus  
Valde

Valde sollicitus sum, inquit Alcuin, episc. 47. de itinere profectio- nis in hostem, quia plurima solent in talibus euenire per- ricula rebus. Et paulo post. Damceta Saxoniam. In fine Carolo M. victoriam precatur his verbis: Dauid dilectum suum, & vos omnes victores cum gaudio reducat.

IN EPISTOL. XLIII.

Felici) Hic est, ni fallor, Felix Hildebaldus Coloniensis Archie- fol. 93. v. 8.  
piscopus, cuius industria (vt ait S. Ludgerus in episc. cap. 9. de canonizatione S. Suiberti ann. 804.) & pia instantia sanctus Leo V Verdam nauigauit, & sanctum Suibertum in Sanctos retulit, presente Carolo Magno.

IN EPISTOL. XLIV.

Videtur scripta ad Edilhardum, quem persecutus est Offa Rex fol. 94.  
Merciorum, sedem Archiepiscopatus, olim Cantuariæ fundatam, in Lichefeldam transferre conatus, vt inquit V Vil- helm. Malmesbur. li. 1. Reg. Angl. cap. 4. Sed Kenulphus Offa suc- cessor Edilhardum (quem & legatum Romam misit) restituit. Ex- tant apud Continuatore Bedæ lib. 1. cap. 12. & 13. litera hac de re. Kenulphi & Leonis III.

Quæ oia liquidè intelligi possunt ex epistolis Alcuini, quas Mal- mesbur. lib. 1. de gestis Reg. Angl. cap. 3. & lib. 1. de gestis Pontific. Angl. citat:

Domino sanctissimo atque omni honore dignissimo Ethelardo Archiepiscopo.

Lectis prosperitatis vestræ literis & prosperitate itine- ris vestri & reuersionis in patriam; & qualiter Apostolica be- nignitate suscepti fuistis, toto cordis affectu, animoq; lætissi- mo gratias egi Domino Deo sempiterno, qui magno cle- mentia dono viam vestræ peregrinationis prospero dire- xit itinere, & dedit vobis gratiam in conspectu Patris Apo- stolici, & legationis effectum, & voti compotem redire con- cessit.

O o o o 2

cessit: & primi nostri Doctoris sanctissimam sedem ad pristinum culmen dignitatis per te iterum exaltare dignatus est: quæ cuiusdam dissensionis scissura, quorundam inuidiosa scissura ad horam discissa esse videbatur. Felix, qui unitatem pacis fraterno amore conseruare studet: sed ille multo felicior, qui ab aliis disrupta charitatis viscera pio labore ad vnius compagem corporis reformate nititur. Igitur nunc gratia operante diuina, membrorum vnitas adhaeret capiti proprio, sacerdotalis dignitas antiquo gratulatur honore, & germana pax inter summos Britannia Pontifices splendet, & sub duabus Metropolitanorum ciuitatibus vna pietatis & concordia viget voluntas, sicut in literis vestra beatitudinis lectum intellexi.

Item in alia epistola intercedit pro Merciorum Episcopo, vt viuens pallio non exuatur, his verbis:

Sanctarum Scripturarum lectio per tuam sanctissimam curam renouetur, & Ecclesiastica dignitas vbique exaltetur, & sancta Sedes, quæ prima fuit in fide, prima sic in sanctitate & honore, quæ partim discissa est, non rationabili consideratione, sed quadam pietatis cupiditate. Quod si fieri possit vt pacificè adunetur, & scissio refarciatur, bonum videtur esse cum consilio omnium sacerdotum Christi & Coepiscopi vestri Eboracensis Ecclesiae vt fiat: ita tamen vt pater pius diebus suis pallio non exuatur, licet ordinatio Episcoporum ad sanctam & primam Sedem recurrat. Fuit igitur Ethelardus vnus, qui nobis non cunctando, sed satagendo restituit rem. Licet enim nobis mutuari dictum Ennij de Fabio. Ei non solum Cantia ingentis beneficij est obnoxia, quod eam ad pristinam dignitatem laboribus suis suscitauerit, verum etiam tota Anglia, quam degeneri Sedi substerni passus non fuerit. Vir post primos Doctores summis Pontificibus comparandus, & pænè discipulum

sim præferendus: atque haud scio si dicto delinquo; cum profecto excellentius videatur, restaurasse dignitatem amissam, quàm conseruare partem: quamuis & illud nonnullæ laudis habeatur. Quod si alicui in quæstionē venerit, quantæ sanctitatis & reuerentiæ fuerit, legat epistolam Leonis Papæ Kenulfo Regi missam, quæ in 1. libro gestorum Regalium inuenitur: in qua vocat eum sanctissimum, dignissimum, charissimum, peritissimum. Quæ nimirum verba summus ille & sanctus Papa non iteraret, nisi rata esse constaret. *Hæc ex Malmesbur.*

Pati à gente tua ) *Has ipsas persecutiones Ecclesiarum describit Malmesburienfis li. 1. reg. Angl. c. 4. & graui amaroq; stilo exprimitur genti Merciorum Alcuinus epistola ad Offam, citante Malmesbur.* Ego paratus eram cum muneribus Caroli Regis ad vos venire, & ad patriam reuerti, sed melius mihi visum est, propter pacem gentis meæ, in peregrinatione remanere; nesciens quid fecissem inter eos, inter quos nullus securus esse, vel in salubri consilio proficere potest. Ecce loca sancta à paganis vastata, altaria periuriis fœdata, monasteria adulteriis violata, terra sanguine dominorum & Principum fœdata. *Vbi quod de adulteriis Alcuinus mentionem facit, addè quæ S. Bonifacius episc. ad Ethelbaldum antecessorem Offæ:* Audiui- mus, quod optimates pœne omnes gentis Merciorum, tuo exemplo, legitimas vxores deserant, & adulteras & sanctimoniales constuprent; quod quàm sit peregrinum ab honestate, doceat vos gentis alienæ institutio. Nam in antiqua Saxonia, vbi nulla est Christi cognitio, si virgo in paterna domo, vel maritata sub coniuge fuerit adulterata, manu propria strangulatam cremant; & supra fossam sepultæ corruptorem suspendunt; aut cingulo tenus v estibus abscissis flagellant eam castæ matronæ & cultellis pūgunt; & de villa in villam missæ accurrunt nouæ flagellatrices, donec interimant.

Oooo 3

23. Cui

23. Cui regem Christi abiturus relinquis? *Vel ex his verbis, quibus discessum dissuadet, certus sum, hanc scriptam epistolam ad Ethelhardum: de qua ausim asserere, esse illam ipsam, in qua Alcuinus fatetur se dissuasisse abitum. Citat Malmesbur. lib. 1. de Pontifici Angl. Sanctissimo Patri & in membris Christi valde venerando Ethelardo Archiepiscopo, &c.*

Suasi aliis literarum mearum apicibus, Sanctitatem vestram permanere in patria, nolens lumen Britannia extingui. Sed fiat, quod Deo placet, ut proficiat Christi Ecclesiis. Prosperum iter faciat vobis Deus, Angeloq; eius comitante, prosperè vos ducat atq; reducat dulcissime & amantissime pater. Maximè autem prece, ut apud sanctos Apostolos mei habeatis memoriam, sicut nos apud S. Martinum vestri habere dulce habemus.

28. Offanum) *Offanus idem, qui & Offa. de quo epist. 32. citamus epistolam Alcuini ad Offam. Hac forma Beda, Bedam nominatur à discipulo suo ep. de transitu Beda. Sic & S. Columbanus, Columba; & Theganus scriptor gestorum Ludouici vocatur Thega & Thegam.*

## IN EPISTOL. XLVI.

Viro Ill.) *Interpretor, Viro Illustri quia paulo post. Vestra nobilitas. Nomen huius quale fuerit, patet ex hac & subsequente 47. epistola; ubi, Homerum appellat. Sed eodem, quo ipse Alcuin. se Flaccum; & Carolum M. David nominat; familiari more illi euo, varia nomina adsciscendi. Hic me quondam (ut inter amicos ioca) Phœbum vocabat, ait Sidon. Apoll. lib. 8. ep. 11. ipse à nobis vatis Odrylij nomine accepto. Hunc Homerum fuisse legatum à Carolo M. in Italiam missum, colligo ex ep. 47. Ego quasi penè orbatus filiis remaneo domi. Dameta Saxoniam, Homerus Italiam, Candidus Britanniam recessit. Fortè nomine Homeri Engilbertum intelligit, quem Carolus M. misit in Italiam, ut patet ex ep. 27. 49. 51. 59.*

## IN EPISTOL. XLVII.

[Ter tuum confessione) *Hortatur militem, ut ante praelium* fol. 97. r. 24  
*Sacramentali confessione peccata expiit, laudato priscis militibus*  
*more: qui & apud Normannos; de quibus Willelm. Malmesburi-*  
*ensis lib. 3. de gestis Regum Angl. Tota nocte confessioni pec-*  
*catorum vacantes, mane Dominico corpore communica-*  
*rant; pedites cum arcibus & sagittis. &c.*

30. *Damocra Saxoniam) Vide, que notant ad epist. 41. que*  
*idem est inscripta.*

*Martinus in vico) m. f. vitiosè: in vicos apud S. Iodi-* fol. 98. v. 2.  
*cum. Conculerat Carolus M. Alcuino prater Abbatiam S. Marti-*  
*nellam S. Iudoci, ut apparet ex epistola 11. Lupi Ferrar. ad Lotha-*  
*rium Regem.*

6. *Filia mea) Quam hæc, pro cuius valetudine tot preces, tot elee-*  
*mosyna, tanta sollicitudo? Ausim affirmare esse Liurgardem Caroli*  
*Alexorem, quam Alcuinus ep. 62. filiam suam vocat.*

## IN EPISTOL. XLVIII.

P *Verò Mauro) In Bibliotheca Imperat. Viennæ extat Alcuini* fol. 98.  
*intercessio pro Mauro, manuscripta; tractans de mysticis qui-*  
*busdam figuris.*

29. *In poculo) alludit, nisi fallor, ad illum morè de quo supra ep. 22.*

## IN EPISTOL. XLIX.

A *Gino Episcopo) Scio Aginum (cuius mentio in fragmento* fol. 99.  
*hist. Aquitan. ed. Pithæi) seu Agennum esse caput Nitiobri-*  
*um, de quo Ptolomeus lib. 2. cap. 7. Hinc suspicor, hanc epistolam*  
*scriptam esse ad Aginnensem Episcopum; & legendum esse: Agini*  
*Episcopo. Nisi quis malit esse nomen proprium: quod, quale, mihi*  
*non constat. Quid si hic Constantiensis Episcopus Eginus, qui teste no-*  
*stro Hermanno, adiit Episcopatum anno 781. Blanditur quidem, sed*  
*is, quod est, coniectura.*

IN

fol. 100. v. 12.

**A**ngilberto) qui gener Caroli M. sanctitate clarus, Anno postea monasterij S. Ricarij in Centulo, quod ipse construxit, De patre suo & matre Bertha filia Caroli M. Nithardus lib. 4. de dissensionib. filiorum Ludouici pij hæc: Angilbertus vir memorabilis Cétulo translatus, & anno post decessum eius XXVIII. corpore absq; aromatibus in dissoluto repertus est. Fuit hic vir ortus eo in tempore haud ignotæ familiæ. Madhelgandus autem, Richardus, & hic ex vna progenie fuere. Et apud magnum Karolum merito magni habebantur. Qui ex eiusdem magni Regis filia nomine Beretha Harnidum fratrem meum & me Nithardum genuit. Centulo opus mirificum in honore omnipotentis Dei sanctiq; Ricarij construxit, Familiam sibi commissam mirificè rexit. Hinc vitam cum omni felicitate defuncta. Centulo in pace quieuit. Vide ep. 27. 49. 56. 59.

13. Primicerio) Multorum officiorū primicerij erant, ut tribunorum, cubiculariorū, mensorū, lampadariorum, decanorū, fabriciorum, seriniorum, vtriusq; ararij, palatinorum, aduocatorū: & generaliter qualibet corpora, schola, collegia suum primicerium habent, quod primum sonat. Hinc S. Augustinus S. Stephanum Martyrū primicerium, & Baldricus Dolensium Archiepiscopus in historia Ierusaleno S. Petrum Apostolorum primicerium vocat. Vide Alciatum in lib. 12. C. tit. 7. & Alcuini ep. 25.

19. Pipinum) filium Caroli M. Regem Italia, de quo ep. 9.

## IN EPISTOL. LIII.

fol. 101. v. 18.

**A**Erico Duci) Ehericum appellant Annales Francorum, anno 796. & 799. Ducem Foroiuliensem, qui priori anno Hunos vicerit, posteriori iuxta Tharsaticam Liburniæ ciuitatem, in fide oppidanorum, occisus sit. Egolismensis monachus in vita Caroli M. vocat Eenticum & Heiricum.

Paulinus) Aquileiensis, seu vt *Annales Franc. vocant*, Foro- fol. 102. v. 7.  
 silienfis Patriarcha; quem obisse aiunt anno 802. Carolus M. miri-  
 fica coluit hunc. vide diploma donationis tom. 9. Baron. an. 802.

## IN EPISTOL. LIV.

M Agenhario) Scriptor vitæ Ludouici Pij incertus, Megina- fol. 102. v. 127  
 rium nominat; virum sapientem & strenuum, gnarumq;  
 utilitatis & honestatis regię: quem Carolus M. ad Ludouicum,  
 vt eius consilio vteretur, miserit. Eginhardus nominat Meginher-  
 comitem, inter eos, qui Carolo Magno testamentum condenti ad-  
 fuerunt.

## IN EPISTOL. LV.

C RUX) de S. Crucis imaginibus fuse & diserte doctissimus Iaco- fol. 104. v. 29.  
 bus Gretserus tom. 1. lib. 2. de Cruce.  
 27. Lupi) Intelligit sine dubio Lupum Tricassinum Episcopum,  
 qui non est alius, sed idem ipse Lupus, de quo Sidonius in carm. 16. qui,  
 nequam, in Lirinensi cœnobio inuenis fuit. Hic profectus in Britan-  
 niam, hæresin Pelagianam expugnauit, vt scribit Henric. Hunting-  
 doniensis lib. 2. histor. Extant ad eum epistola Sidonij lib. 6. ep. 1. &  
 lib. 9. ep. 11. lib. 8. ep. 14. Vbi vide, quæ notat eruditè Sauaro.

## IN EPISTOL. LVI.

C APPA) Interpretor fuisse similem illi, quam VVilafus Rex fol. 105. v. 8.  
 Merciorum donans ait, in Donatione, quæ extat in historia In-  
 galphi: Offero etiam secretario dicti monasterij in ministe-  
 rium sanctissimi altaris chlamydem coccineam, qua indu-  
 ms eram in coronatione mea, ad cappam inde siue casulam  
 faciendam.

17. Euæ) m. f. Auæ.

## IN EPISTOL. LVII.

IN paruis literis) m. f. vitiose: sapius si paucis literis tam fol. 106. v. 4.  
 parua officia salutationes dirigere.

PPPP

IN

## IN EPISTOL. LVIII.

fol. 107.

**I**N *m. f.* quidem desideratur inscriptio: Sed certum est, missam esse ad Paulinum Patriarcham Aquileiensem.

fol. 108. v. 21.

Scriptitans argumentationes) *De his Sidonius carm. 2.*  
ordine terno

Quæ vel Aristoteles partitus membra loquendi  
Argumentosis dat retia syllogismis.

*Fulgentius præfat. Mytholog.* Platonis auratum eloquium, &  
Aristotelis syllogismaticum verbiloquium.

22. In mente calamum tinxisse) *Ita corrigo, quod in m. f. in*  
*merente. Hoc quod Alcuinus vocat Aristotelicum proverbium,*  
*à Carolo M. auctore usurpavit; si credimus Eckio, qui in caput*  
*Perihermen. hæc habet: Carolus Magnus ad Alcuinum inquit,*  
Aristotelem calamum in mentem tinxisse, dum istum li-  
brum scripserit.

fol. 109. v. 16.

Descendit) *m. f.* discernitur.

26. Faciem non visurum) *m. f.* non vidisse.

## IN EPISTOL. LIX.

fol. 111.

**P**Aulino Patriarchæ) *Vbi Patriarcha fuerit, non exprimitur*  
*in m. f. Sed fuisse Aquileiensem certum est; qui Patriarcha-*  
*tum adiit anno 776. & sedit annos 25. Panuin. Præfuit synodo Al-*  
*tinenfi anno 802. vt patet ex epistola synodali Paulini ad Carolum M.*

## IN EPISTOL. LX.

fol. 112. v. 25.

**V**estrum libellum) *Scipsit Paulinus libellum contra Felicem*  
*Urgelitanum & Eliphandum Toletanum hæreticos, qui exat*  
*tom. 3. Conciliorum & in bibliotheca P P.*

fol. 114. v. 6.

Dumis Hispanici) *Intelligit Felicis hæresim repullulascensium,*  
*quæ ipso auctore eam abnegante apud Reganspurg pri-*  
*imum damnata est, anno 792. vt habent anal. Franc. ed. P. 11.*  
*Mox Romæ coram Adriano Pontifice Felix secundo suam hæresim*  
*detestatus est. Sed iterum antiquus serpens de dumis Hispa-*  
*nici ruris (inquit verè Alcuinus; nam Româ ad ciuitatem suam*  
*reuer-*

reuerfus est, *vt ait Astronomus Ludouici in chron. Vrgellam scilicet, qua, eodem teste, in Pyrenei montis iugo sita* & de spluncis venenatae perfidiae contritum non Herculea, sed Euangelica claua caput releuare conatur, *Verissime, inquam hac Alcuinus: neq enim aliorum hac traho. Propterea tertio damnari debuit, quod factum 794. in Synodo Francofurdenfi presente Carolo M. vt Annales Franc. & Astronomus Ludouici in chron. testantur.*

*Vnam mentionem) De trina mersione in Baptismo retinenda vide ep. 8. fol. 27.*

IN EPISTOL. LXI.

**D**E Auarorum genere triumphatum) *m. s. vitiose: de Varorum. Auares seu Auari tum subacti sunt à Carolo Magno, vtse Alcuino in epistola, quam citat VVillielm, Malmesbur. lib. 1. c. 4. de regno Merciorum. Auares, quos nos Hunos dicimus, exarserunt in Italiam, & à ducibus præfati Regis Christianissimi, superati domum cum opprobrio reuerfi sunt. Similiter & super Bauariã irruerunt, qui & ipsi ab exercitu Christiano superati & dispersi sunt. Lege Rogerum de Houeden parte 1. Annal. anno 795.*

*Æricum) vide de hoc epist. 53.*

*fol. 117. v. 26.*

IN EPISTOL. LXII.

**L**udgarde) *Vxore Caroli Magni, de qua etiam epist. 25. fol. 118. v. 19. & 47.*

IN PROSPERVM.

**V**Bires agitur coniecturis, *ibi, meo iudicio, nemo tuto satis quicquam asserit. In præfatione Prosperi Chronicis præfixa, fuit coniectura nostra, Prosperum Eusebij historiam tantum continuisse. Quod vero Gennadius dicat, se Prosperi Chronicon legisse ab orbe condito vsq; ad captam à VVandalis Romam, id tantum respicere illum computum, quo in fine colligit numerũ ab Adamo. Et hoc exem-*

PPPP 2 plo

plo Victoris Tunnunensis probauimus. *Ut* ut sint haec, si quis patet  
 Prosperi Chronica, quae extant, tantum membra esse amplioris  
 illius, quod Prosper re vera ab orbe condito scripserit, na ille meo  
 animo non malam coniecturam habet. Nam emphasim praefere  
 dentur Gennadiana: Chronica nominis illius praetitulata legi  
 continentia à primi hominis conditione iuxta diuinarum  
 scripturarum fidem. Tum me titulus etiam Vtriciani m. s. codi  
 cis mouet: Incipit ex Chronicis Tironis Prosperi, Chronicorum  
 Eusebij temporibus praetermissis. Vbi particula ex indicio  
 est, nō tota exscripta Chronica. Cetera ita accipio, ac si descriptor  
 Latorem velit monitum, se Prosperi illa praetermississe, quae cum Eusebij  
 Chronico coinciderent. Et hanc sane causam suspicor, cur antea  
 Prosperi, & si forte Victoris, intercederint. Considera autē mihi, quae  
 (ut hoc obiter moneam) in Chronico Victoris initium: A 18. consu  
 latu Theodosij Iunioris, Victor, Episcopus Tunnunensis Ec  
 clesiae Africae, historiam prosequitur, vbi Prosper reliquit.  
 Igitur, &c. Haec, inquam, verba, si quis accuratius inspicat, non vi  
 dentur esse Victoris, sed addita ab aliquo, qui priora reseruit. Maxime  
 mouet vocula: Igitur. Quae quomodo initium integri Chronici? Con  
 firmat me Isidorus lib. de viris illustr. cap. 25. Victor Tunnunen  
 sis Ecclesiae Africanæ Episcopus, à principio mundi vsq; ad  
 primum Iustini Iunioris annum, breuem, &c. nobilissimam  
 historiam promulgauit. Haec licet olim in praefatione Victoris pre  
 fixa, ad collectionem annorum ab Adamo, quam in fine habet, trans  
 rim; iam tamen malim diserte intelligi de ampliori Chronico: cuius illa  
 pars à principio mundi vsq; ad 18. consularum Theodosij Iunioris, ab  
 exscriptoribus sit passim omissa, eò, quod iam ab aliis fuerit pertrac  
 ta. Solent enim eiusdem argumenti scriptores alter alterius luminibus  
 officere. Et plane durum est credere, Gennadium scripsisse, ea se Pro  
 spero legisse, quae nunquam viderit. Sed nec magni haec disceptatio me  
 menti, & in utramq; partem disputari potest.

## IN VVEINGARTENSEM.

fol. 179. v. 76.

**I** Rosihgardi) Haec ab eodem VVeingartensi in Chronico fol. 219.  
 vocatur Irmingarda. Salo

Salomon Abbas & Episcopus Constantiensis. Vngari *f. 219. v. penult.*  
 Italiam vastant. Hunc aiosuisse Salomonem eius nominis tertium,  
 illum ipsum, cuius carmen infra damus, quo hanc ipsam Vngarorum in  
 Italiam irruptionem deplorat. Instat Italides spoliatæ ciuibus  
 vrbes, &c.

Ludevicus regnavit annis 12. *Verius umbra Regis, quam* *fol. 220. v. 1.*  
 Rex: qui septennis puerulus regnum adiit. Vide que notamus in Sa-  
 lomonem Constant. qui orbitatem Germaniæ, quasi sine Rege fuisset,  
 deplorat.

## IN STERONEM ET EBERHAR-

D I V M.

Num hoc moneo, *si constet de bona fide.* Ex qua ab anno 1152.  
 Steronis nomine dedimus, *m. s. sine v. l. o. interuallo & sine au-*  
 thoris nomine coniuncta sunt iis, que ab anno primo Rud. Habsburgij  
 secollegisse restatur Eberhardus: *Vnde suspicio est,* omnia Eberhar-  
 di esse, præsertim cum *Vrsusius* restetur, Eberhardum annales suos ab  
 anno 1152. inchoasse. *Neq. obstat,* omnia fere ad verbum ( nisi, quod  
*nostræ codicis* in multis sit auctior ) convenire cum Sterone usque ad  
 Habsburgium. Nam etiam ab Habsburgio, que Eberhardus sua  
 restatur, ea conveniunt ad verbum in quamplurimis cum Sterone,  
 qui etiam ab Habsburgio pergit annales pertere. Notum enim est  
 quam sepe auctores illius aui alios transcribendo suos fecerint. Hic  
 tamen præter coniecturam nil statuo. Et donec *m. s. litem* decidat, ea,  
 que certo sunt Eberhardi, illi diserte tribuimus: antecedentia verò,  
 que nullum nomen præferunt, & cum Sterone fere conveniunt, ea  
 Steronis nomine damus.

## IN SANGALLENSEM SCRIPTOREM

VITÆ CAROLI M.

Circulos nisi V I. in eos) *Prope liquere pronuncio corrigen-* *fol. 396. v. 29.*  
 dum *m. s. & legendum,* vimineos. *Sepes enim describit.*

Petente filio suo, Trogoni Metensi Episcopo) *Ita qui-* *fol. 369. v. 29.*  
 dem claris literis *m. s. sed vitiosè: restituendum;* filio suo Trogo-  
 ne. fuit enim Trogo seu Drogo Caroli filius.

Pppp 3

Nota-

fol. 414

Notariunculam adoram vereor me non posse admittere. Ita sic cogitantibus alia succedunt. Duram enim ibi sine ulla dubitatione pro flumine accipio, à quo Durgovia appellata est: etiam bodius nomen retinet. Habet historiolum sive fabellam verius, que ibi narratur. Auentinus pag. 353. Ingolstadt. edit. qui vnde giganti Aenothero nomen fecerit, nescio. Certe cum Sangallensem nostrum legisse, non ex isto solo loco, sed ex pag. etiam 322. 333. &c. constat.

fol. 419.

Notandus locus de causa diuortij inter Carolum M. & filium Desiderij. Ea enim, quantum ego scio, à nullo alio veterum prodita est. Baronius an. 771. se eam ignorare ingenue fatetur. Clinica & ad propagandam prolem inhabilis. eodem sensu interpretor, quo Baronius in epistola, quam alij Gregorio II. ipse II. tribuit an. 726. Si mulier infirmitate correpta, non valuerit debitum viro reddere. &c.

HERMANNUS  
S. J. J.  
COMES  
S. I. V.  
24

IN HERMANNVM.

Διατύπωσις stirpis Veringensium Comitum extat apud Vrsingum.

VVolferadus obiit 1069.	Hiltrud vxor, © 1052.	Lutpoldus, infans extrinsecus, Hermannus Contractus, monachus.	VVolferadus Comes, © 1065.
VVolferadus Comes in Veringen. Bertha vxor.	Manegold. © 1104. Leutbildis vxor, © 1106. Fundato- res cœnobij Isnensis.	VValtherus perijt in bello ad Idungsbemium 1109. VVolferadus.	Irmingardis Comitissa de Veringen . . . . Manegoldus.

Anno 1357. vixere Manegoldus Comes à Veringen, & Eberhardus filius eius.

Vbi tamen noster Hermannus audiendus potius, qui anno 1009 hæc habet: VVolferadus Comes Hiltrudem, Piligrim & Bernardi filiam vxorem duxit, ex qua postea me Hermannus non annumerato 15. liberos produxit. pergit Hermannus.

An. 1010. Senior VVolferadus Comes patern<sup>o</sup> auus, &c.  
4. Non. Martij iam senex moritur.

Anno 1013. Herimannus ego 35. Cal. Aug. natus sum.

Anno 1020. Ego Hermannus literis traditus sum 17.  
Calend. Octobr.

Anno 1021. VVerinharius frater meus Calend. No-  
uembr. nascitur.

Anno 1032. Bertha auia mea femina satis religiosa 23.  
viduitatis anno 11. Calend. Ian. decessit.

*Vel ex his patet quàm bonæ notæ sit noster Hermannii codex, cum  
quæ in aliis desint.*

## IN SALOMONEM EPISCOP.

[Neo iam sum vt mihi liquere pronunciem, quod sufficabar, Sa-  
lomonis versus fol. 21. quibus orbitatem regni Germanici deplorat,  
Ludovicum Arnolfi filium respicere. Obiit Arnolf. anno 900. pro  
quo Ludovicus puer in regnum cõstitutus est, ait noster Her-  
man. & quidem septenni, vt est apud Marianum, Regis verius um-  
bra. Nec enim regnum eiusmodi ab interregno quicquam distat: quod  
hec verba volunt fol. 21. v. 28. Principe destituit multo nos  
tempore languor infantilis adhuc perfungens nomine Re-  
gis. Antea dixerat fol. 18. v. 16. Hostibus ecce, Dei qui cense-  
bamur amici, tradimur in prædam, &c. Hungarorum irruptio-  
nem designat, quas illi crudelissimas exercuere annis 901. 903. 904. &  
sequentibus, vt est à Reginono, Sigeberto, aliis proditum. Et ne-  
scio an non fabulam de Hunnis, quos pleriq. eosdem Hungaros putave-  
re, spectent sequentia fol. 18. v. 21. Ferre canis pretium templo  
lex prisca refutat, nunc canis ipse domum Christi spurcissi-  
mus intrat, &c. Difertè autem Italia calamitates deplorat fol. 18.  
v. 21. Instant Italides spoliatae ciuibus vrbes. Vbi quàm  
incredibiliter debacchati Hungari, vide Annal. Fuldens. F. an. 900.  
Simul ciuilia Lamberti, Berengarij, & Ludouici Bosonis filij bella  
notat fo. 19. v. 10. Intestina loqui populorũ prælia possent, &c.

Atq.

Atque hæc quidem ætati Salomonis III. Constantiensium Episcopi planissime omnia conueniunt.

## IN VVALDRAMMVM.

**S**uspicio Balrannum esse, qui Argentoratensis Episcopus, quem Regino scribit obiisse an 905. Bruschius Baldrum vocat; Chronicon Alsatie Germanicum Baldrum siue VValdrum. Verum hæc ariolatio affirmari non debet; neq; tamen omitti. Scio quam in hoc genere coniectura blandiantur, & quàm blandè quoq; fallant. Velim nil nisi certissimum affirmari.

De Dadone nihil adhuc eruo.

## IN METELLVM.

fol. 91. v. 13.

**A**rnaldus) Arnolsum ducem Baiouaria intelligit, de quo Otto Frising. lib. 6. cap. 18. similia.

vers. 23.

Non capulatus) Hæc visio S. Vdalrici describitur cap. 3. vita S. Vdalrici ab auctore illi æquauo: qui, sicut & Siffridus presbyter epistom. lib. 1. & Dirmarus lib. 1. gladio non capulato putant denotari Imp. Henricum Aucupem, qui Episcopalem vñtionis benedictionem neglexit accipere. Noster verò Metellus, & Gebhardus Episcopus in vita S. Vdalrici & Otto Frising. lib. 6. cap. 18. existimant, ipsam Arnolsum ducem significatum.

## APPENDIX

AD

## TOMVM I.

## ANTIQUÆ LECTIONIS.

S. Columbani	}	Carminas.
Salomonis Episcopi		
Constantiensis		
VValdramm		
Metelli Tegernseensis		
Quirinalia		

CAR.